



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 16. S. Leonis obitus Hilarus Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

## §. XI.

Sæculum V.  
A. C. 460.*S. Leonis obitus. Hilarus Papa.*

Opera S. Leonis, quæ nobis supersunt, nonaginta sex Sermones in præcipua anni Festa, & centum quadraginta unam epistolas complectuntur. Is inter ceteros Pontifices primus est, a quo integrum operum ejus corpus habemus. Orationis Stylus nobilis est, & elegans, quo iudicii maturitas, ingenii vis, atque animi Magnitudo expressa relucent. Post Vandalorum vastationem, omnibus Romanæ urbis Ecclesiis vasa argentea reddidit, atque in hunc finem sex magna vasa, unumquodque librarum centum, olim a Constantino donata, conflare iussit. S. Petri Basilicam reparavit, & opere fornicato auxit, ornavitque. S. Pauli quoque Basilicam, illapso fulmine destructam, e cineribus suscitavit, & fornicem superaddidit, in quo Dominus noster Jesus Christus, comitantibus viginti quatuor Senioribus, opere Musivo depictus erat cum Epigraphe, quæ indicabat, hanc Ecclesiam a Theodosio ædificari cœptam ab

*Lib. Pont.*

Ddd 4

Hono-

S. Leo hic docet, peccata primum Deo, & deinde per Confessionem secretam etiam Presbytero esse exponenda. Vel forte alium Doctorem sequuntur, S. Leone Magno præstantiorem, sanctiorem, & cuius in Ecclesia major fuerit Auctoritas!

Sæculum V. Honorio consummatam, atque a Placidia, & S. Leone ornatam. Item S. Leo Basilicam ad Honorem S. Cornelii Papæ prope Cœmeterium Callisti in via Appia extruxit. Ad sepulchra SS. Apostolorum constituit Custodes, qui primum Cameraarii appellabantur, & sequenti tempore Capellani, quia tunc temporis Capellæ Camerae dicebantur. Quater Romæ ordinavit Mense Decembri, nempe octoginta & unum Presbyteros, Diaconos triginta, & unum, atque centum octoginta quinque per diversa loca Episcopos. Sacram Sedem obtinuit viginti & uno annis, & ad Superos evolavit anno 461. ut creditur undecima Aprilis, qua die etiamnum Ecclesia ipsius Memoriam veneratur. (\*)

*vide Quesn. diff. 1. n. 3. 4. &c.*

S. Leo.

(\*) Tillemontius in Articulo ad Leonem, Laudem ejus maximam una voce comprehendi dicit quod jure ab omnibus Magni Nomen post fata retulerit. Et profecto S. Leo I. merito Dignitate Ecclesiastica supra omnes orbis Christiani Antistites effulgit, qui Prudentia admirabili, solida Doctrina, & Facundia, Paterna Sollicitudine, constantia, Moderatione animi, fervido in Hæreticos zelo, fortitudine, & Auctoritate inter suæ ætatis omnes facile eminuit.

Cum vero Tillemontii hic primo occurrat mentio, juvat animadvertere quid de ipsius opere R. P. Honoratus in suis animadversionibus in Regu-

S. Leonis Successor fuit Hilarus, ipse Sæculum V.  
 Archidiaconus, qui ante annos triginta A. C. 461.  
 ad Concilium Ephesinum missus, Eccle- Marcel. Chr.  
 siæ partes egregie tuitus fuerat. Electus  
 est 12. Nov. ejusdem anni, Severino,  
 D d d 5 &

Regulas, & usum Critices dicat Dissert. I. Tille-  
 montius sibi constituerat, inquit, primus Verita-  
 tem investigare, aliisque aperire, Acta sincera a  
 fallacibus dignoscere, quælibet Monumenta Eccle-  
 siastica, quæ supersunt, excutere, opera Patrum  
 sex priorum Sæculorum diligenter scrutari, æque  
 ac Auctores profanos de Christianis differentes,  
 & demum quidquid commodum esse posset absolu-  
 tæ efficiendæ Historiæ Veteris Ecclesiæ colligere.  
 Fleuriæ deinde Historiæ scopum, methodum,  
 & materiam perite exponit, & subjungit: Nar-  
 rationi suæ Fleurius præsertim in prioribus To-  
 mis compendia librorum Patrum intermiscet, ad  
 Doctrinam, Disciplinam, & mores pertinentia,  
 inseruitque summatim formulas Fidei, Canones  
 Conciliorum, & Acta Martyrum. Ecce tibi su-  
 per quæ constructa sit Abbatis Fleurii Ecclesia-  
 stica Historia. Nempe Tillemontius Materiam  
 præparavit. Fleurius Historiam scripsit.

Pater Honoratus Artis Criticæ aculeum exe-  
 rit in ipsam Tillemontii Criticen, quod Tillemon-  
 tius testimonium S. Dionysii Areopagitæ, seu al-  
 terius, ut ipse putat, Scriptoris ætate posterioris  
 de Assumptione Beatissimæ Virginis non recipiat,  
 & tamen in eodem loco ejusdem Scriptoris Au-  
 thoritatem adducat pro illa opinione, non S. An-  
 dream, sed S. Petrum fuisse ætate majorem.

Sæculum V. & Dagalaifo Consulibus. Ortus erat in  
 A. C. 461. Sardinia, habebatque Crispinum Patrem;  
 sedit annos sex. Epistolam scripsisse fer-  
 tur de Fide Catholica, atque eam ad om-  
 nes Orientis Episcopos misisse; in illa ap-  
 probabat tria Concilia, Nicenum, Ephesi-  
 num, Calcedonense, & S. Leonis episto-  
 lam, Eutychem vero, & Nestorium con-  
 demnabat. Hæc epistola ad nos usque  
 non pervenit.

Eodem anno 461. Ricimer Patricius  
 Imperatorem Majorianum eo adegit, ut  
 Imperium abdicaret; id actum Dertonæ  
 secunda Aug. septima vero, Ricimero ju-  
 bente, interfectus est, postquam annos  
 quatuor, & menses quatuor regnasset.  
 Severus 19. Nov. Leonis Imperatoris  
 consensu non expectato, Ravennæ Im-  
 perator proclamatus.

## §. XVII.

*Eudocia Imperatrix vita excedit.*

*vita S. Euthym. p. 64.* In Oriente Eudocia Imperatrix, Theo-  
 dosii junioris vidua, 20ma Octobr. eo-  
 dem anno 461. Indictione decima quar-  
 ta, annum vitæ agens sexagesimum septi-  
 mum, vivere desuit. Ex quo tempore in  
 Palæstinam se receperat, multas Eccle-  
 sias, Monasteria, & Hospitia ædificavit.  
 Præter alias etiam S. Petri Ecclesiam,  
 unam circiter Leucam distantem, & ad-  
 versa regione S. Euthymii Monasterio op-  
 positam,